IO. HENRICI FELTZII,

ICTI FAMIGERATISIMI, PANDECTARVM, IVRIS CANONICI ET FEVDALIS PROFESSORIS PVBLICI LONGE CELEBERRIMI IN ACADEMIA ARGENTORATENSI,

COMMENTATIO IVRIS PVBLICI ET FEVDALIS,

DE

FEVDIS OBLATIS,

LINGVA VERNACVLA:

Von aufgegebenen oder aufgetragenen Lehen.






NVNC VERO, VT DESIDERIIS MVLTORVM SATISFIERET.



IENAE,
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1759.





PRAELOQVIVM.

De Argumento, cujus titulo insignitas vides pagellas istas L. B. pleniorem ac methodicam commentationem aliquam jam fere consignaveram; at cum illa justæ dissertationis Academicæ limites, ante quam absoluta, jam nimis excederet; visa est instituto Academico, vel ex antiquiori etiam more, & convenire & sufficere, ista scriptionis forma, qua non tam curato ordine res explicaretur, quam de præcipuis capitibus disputaturi nude sententia proponeretur, subjectis tamen quandoque ubi opus videbatur, & vel remissive traditis rationibus ita ut esset

I.

Sicuti tractatio de FEVDO OBLATO ad Jus Feudale pertinet; *a*) ita quænam hujus cum universa Jurisprudentiæ compage sit connexio, disceptationis est haud inutilis. Quod si de Jure Feudali communi, & ut in thesi consideratur, sermo sit; ad Jus Gentium *b*) referendum existimo, quod secundarium *c*) quidam, alii voluntarium *d*) sive arbitrarium *e*) appellant; & quidem partim ad id, quod proprie ita dicitur, partim ad jus plurium Gentium civile, ex quo & originem traxerit. *f*) Consideratum in hypothesi certæ societatis civilis sive Reip. ad Jus Civile spectat; cujus cum duæ sint positiones, Jus publicum & privatum; *g*) ad neutrum absolute & cum exclusione alterius; *h*) si tamen à potiori denominare velimus; cum ad partem Juris militarem *i*) pertineat, ad prius potius accedere videtur per rationes aliis adductas; *k*) in Imperio præcipue Romano Germanico, cujus statui intimius feuda sunt immixta. *l*)

a) quod vel ex terminis patere jam monuit *Thomasiana de Feudis Oblatis dissertatio c. 1. §. 10.*

b) conferri hanc in rem meretur Illustris *Dn. Struvius* in eruditissimo suo *S. J. F. cap. 1. aph. 2. n. 3.* qui ad particulare refert respectu habito ad universalius.

c) Ita

c) Ita *Vinnius ad* §. 1. *Inst. de I. N. G. & C.* & Commentatores Juris Nostri communiter.

d) Ita *Hugo Grotius in proleg.* operis sui *de J. B. & P. Job. Seldenus Mar. Clauf. l. 1. c. 1. 3. & 7.*

e) *Cl. Rachelius diss. de Jure Gentium* §. *IV.* conf. dissertatio ejusdem de Jure Arbitrario.

f) quod fieri solitum in multis capitibus non improbabile est. *Id. diss. de J. G.* §. *XXXI. & XXXII.*

g) ex partitione ipsiusmet Imperatoris. §. *ult. Inst. de Just. & Jur.*

h) non ad privatum; ob Ducatus, Comitatus, Regalia &c. sed nec tamen ad publicum, vel ex eo, quod & in Rusticos cadat: feudum elargiri; id quod post alios erudite etiam probatum dedit V. Cl. *Frider. Rhetius in* nobili *commentario ad lib. 1. F. pag. 124. seq.*

i) conf. *Theodor. Reinking. de Regim. Sec. & Eccles. Lib. I. Cl. IV. cap. 16. n. 29.*

k) *Thomas. diss. l. c.*

l) qua de re conferri potest Cl. *Schwederus Introd. J. P. cap. 1. §. 14.*

II. Etsi porro, si potiorem ejusdem in posteriori consideratione, & ut Corpori Juris nostro annexum, mole *m*) partem respiciamus, magis juri non-scripto sive consvetudini, *n*) quam scripto *o*) adscribi possit; accuratior tamen videtur doctrina eorum, *p*) qui partim jure scripto, partim jure non-scripto constare adserunt; ad exemplum Juris Civilis in genere, *q*) & in specie etiam Juris

Publici. *r*) Ut adeo si quis in universum Jus ratione materiæ dicere vellet vel feudale vel allodiale, *s*) illud vero vel publicum *t*) vel privatum, vel scriptum vel non-scriptum; *u*) ille nec ratione *x*) nec auctoritate destitueretur. Sicut autem ad solidiorem de Feudis præcipue Oblatis doctrinam justa singularum *y*) juris partium cognitio requiritur; ita certum est Juris publici in universum disciplinam inprimis eidem esse connexam. *z*)

m) consvetudines puta Longobardicas à privatis collectas; quæ magnitudine superant Constitutiones Impp. alias utique potiores.

n) Ita *Dn. Struv. cap. 1. aph. 7. Exc. Stryk. Exam. J. F. c. 1. §. 10. sqq. Dn. Bitsch.* noster *in proœm. & ad rubr. comm. J. F. Hattyser. Anal. J. F. c. 1. lit. a.* & alii plures.

o) quod placet *Hunn. de feud. c. 2.* & aliis ex eo, quod Consvetudines Longob. non ex usu Longob. sed auctoritate Imp. æstimandæ.

p) Ita *Schnobel. disp. 1. th. 3.* & inprimis Illustris *Eybenius in Elect. Feudal. cap. 1. §. 3. sq.*

q) *§. 3. I. de J. N. G. & C.*

r) vel arg. eorum, quæ nuperrime de *Observantia Imperiali*, von dem Reichs-Herkommen / commentatus est Ampliss. *Kulpisius.*

s) conf. laud. mod. *Electa Dn. Eyben. c. 1. §. 1. sq.*

t) quo spectat eruditissima Cl. *Itteri de Feudis Imperii Commentatio*, & tantum non tota *dissertatio de Feudis Oblatis* anno superiori sub Amplissimi *Thomasii* præsidio habita, quam idcirco etiam Auctori *Dissertationem Juris Publici* inscribere fas fuit.

u) Dn.

u) Dn. *Eyb. l. c.*

x) quam exhibet ac ab instantiis defendit *Id. ibid.*

y) Juris Civilis arg. eorum, quæ de evictionibus, traditionibus &c. Canonici eorum, quæ de præscriptione, in jure feudali disputantur.

z) conf. *Thomas. dissert. d. §. 10.*

III. Feudum aliud oblatum, aliud non-oblatum dicitur, respectu habito ad dominum, à quo res in feudum datur, vel ita *a*) ut originarie quasi ab eo proficiscatur & antea ejus fuerit; vel ita ut prius ei hac conditione fuerit oblata. Oblati feudi nomen DD. originem debet; *b*) non-oblata ad differentiam istius vocantur etiam *Data. c*) Quod si respicere quis mallet ad vasallum, ac feuda alia dicere oblata scil. à Vasallo; alia suscepta ab eodem, non quidem ex usu recepto, at haud tamen temere *d*) loqueretur. Idem dicendum, si quis relatione ad factum Domini habita, feuda alia vocaret, *data* à domino, à Vasallo suscepta; alia *restituta* Vasallo, à quo prius oblata.

a) conf. *Dn. Bitsch. ad 1. F. 1. f. & Dn. Struv. cap. 1. aph. 3. num. 2.*

b) neque enim vel in Jure Longobardico, vel in Germanicis etiam legibus, in quibus tamen res ipsa, occurrit.

c) nominatim in *diss. Thomas. cap. 1. §. 2.*

d) quæ enim resp. Vasalli accipientis sunt, ipsi *da-*

ta

ta ea resp. domini dantis possent dici *oblata*; & vicissim, quæ resp. domini accipientis sunt *oblata*, ea resp. Vasalli essent *data*. Itaque resp. in denominatione est vel ad vasallum vel ad dominum restringendus, ac uterque separatim vel ut dans, vel ut accipiens considerandus. Sive jam hunc quis malit sive illum respicere, perinde erit, nisi quod, quoad formulam in Vasallo usurpatam: *Rem propriam dare domino in feudum*, exasse ad probandam existimem censuram *Dn. Bitsch. l. c.*

IV. Usu quæ obtinuere nomina sunt, quod dicatur Feudum *Oblatum & Recognitum*, *e*) concinna *f*) satis appellatione, & *appropriatio g*) sive etiam *feudum appropriatum*, *h*) voce itidem non *i*) incongrua. *Feudi Boni* appellatio, quæ eidem etiam tribuitur, *k*) vix erit ultra fœderati Belgii forum, & peculiarem F. O. speciem extendenda. *l*) Germ. vocantur, Auffgegebene, Auffgelassene, rectius *m*) Auffgetragene Lehen.

e) à DD. passim, vid. è multis *Dn. Stryck. Exam. J. F. c. 4. q. 7.*

f) Recognitum enim in genere est omne id, quod non jure allodii pleno possidemus; at specialius id quod alteri obtulimus, ut ab ipso iterum recipiamus. Durior hujus vocis usus est, quo nude oblationi sive actui offerentis designando vel potius alienantis in genere adhibetur ab *Helmold. Chron. Slav. lib. 1. cap. 77. ad A. 1154.*

g) Dn. *Bitsch. l. c.*

h) Dn. *Eyben. c. 4. §. 10.*

i) co

i) eo quod in alterum transferatur proprietas sive dominium, quod vocant, directum. conf. tamen *D. Struv. c. 7. aph. 10. n. 14.*

k) teste *J. de Laët. in Holland. descript. cap. 9.*

l) cum nec ratio eidem relata, successionis nimirum, quoad vasalli cognatos extensio, jure communi obtineat.

m) priora enim & refutationem feudorum designant; hoc adæquatum.

V. Origo Feudorum Oblatorum naturalis, *n*) non alia ratione commodius *o*) tradi videtur, quam si dicatur: ad jura dominii partialia *p*) referendam esse alienationem *q*) rei tum totalem, tum partialem. Ad hanc pertinere ususfructus etiam feudalis *r*) à proprietate separationem; quæ etsi primo ita contigerit *s*) ut dominus Rei usumfructum alteri concederet, proprietate sibi reservata; ex eodem tamen fonte derivandum esse, quod & minorem sibi partem sive usumfructum reservans plenus Rei dominus, proprietatem in alterum velit translatam; qui ipsissimi sunt F. O. natales.

n) quæ & philosophica & interna vocatur & proximas rerum e. g. civilium introductarum rationes, à ratiocinatione humana ut plurimum dependentes, ac principia etiam rei communia continet. vid. *Eck. de O. J. §. 2. ibique Schw.*

o) videtur enim hac ratione feudorum oblationi proprius etiam in Jurisprudentia locus adsignari.

p) est enim utique jus complexum, quod plura sub se singularia continet, vid. *Commentatores ad Inst. de R. D.*

q) qua sola etiam aliqui philosophi dominium definivere.

r) qui licet naturam Romani ususfructus transcendat, Germanici tamen adhuc speciem constituit. vid. omnino Illustris *Schilterus Ex. ad ff. XVII.* §. 11. 15. 18. *&c.*

s) inventibus id ubique J. F. DD. vid. *diss. Thomas. cap. 1. §. 2.*

VI. Propius eorundem principia investiganti considerandæ sunt causæ & ad oblationem ab una, & ad acceptationem ab altera parte impellentes. *t*) De his tamen, cum prioribus utplurimum ex adverso respondeant, *u*) & domini acceptantes regulariter in acquirendo versentur, non est magnopere laborandum. *x*) Inter illas præcipua est: ambitum potentiorum patrocinium, cui accessere tamen & aliæ: metus rei in solidum amittendæ ab iis incussus, quibus postea oblata; devotio erga Ecclesiam & Personas Ecclesiasticas; potentia Statuum Ecclesiasticorum; pecuniarum defectus; familiarum conservatio per jus primogenituræ in easdem hac ratione introductum; æris alieni exsolutio; sicuti has omnes, adjectis exemplis,

plis, primo recensuit Exc. Dn. Hertius; *y*) in ordinem post elegantem redegit Thomasiana dissertatio. *z*)

t) prouti has utique separandas bene monet *diss. Thomas. c. 1. §. 13.*

u) *Id. ibid.*

x) vid. interim *Dn. Hert.* libelli *de Feud. Obl. p. 1. §. 14.* qui huc refert prudentiam acquirendi partem, ubi integrum uno actu comparari nequit.

y) *cit. lib. §. 4. - 14.*

z) *c. 1. §. 13. sqq.*

VII. Origo eorundem civilis *a*) non male deducitur ex tempore interregni ante Rudolphum I. & diffidationum *b*) in Germania consvetarum. Etsi enim & ex aliis causis, uti dictum, & ante compilationem etiam Juris Longobardici exempla F. O. *c*) occurrant; ea tamen pauca sunt, ut adeo tum nondum potuerint dici innotuisse, *d*) quod vel ex eo etiam patet, quod in Consvetudinibus Longob. *e*) nihil de iis dispositum sit. Nam ea, quæ exinde huc allegantur, *f*) vel aliter explicanda veniunt, *g*) vel non possunt, nisi per analogiam huc referri. *h*) In LL. Saxonicis articulus de iisdem apparet, *i*) de cujus tamen & sensu & ratione nondum convenit; *k*) licet in praxi ne quidem Saxonica obtinere omnes consentiant. *l*)

a) quæ & historica & externa appellatur, quaque tempus Rei inductæ continetur. vid. *Eck. l. supr. c.*

b) à DD. communiter. Sufficiat allegasse *Struv. c. VII. aph. 10. n. 2.* & *Thomas. diss. c. 1.* §. *11.* huc & verba *Gemmingii* cit. *Hert. p. 29.*

c) quæ videri possunt apud *D. Hert. c. 1.* §. *4. & 5.*

d) per ea quæ tradit *dissertationi Thomasiana d. c.* §. *18.* defensus *Dn. Rhet. comm. pag. 45.* Nec male igitur B. *Bitsch.* noster *comm. p. 259.* feudi oblati jus postea demum *invaluisse.*

e) *Dn. Hert. p. 1.* §. *17. Thomas. diss. c. 1.* §. *2.*

f) e. g. *2. F. 17.* ibi: *cum de paterno allodio esset hoc feudum* & *2. F. 54.* quem feudis oblatis adplicare nititur *Schoppius tr. de allodiis.*

g) prout id luculentissime monstrat Dn. *Bitschius* in accurato ad exemplum *Commentario in loca cit.* & ex eo *diss. Thomas. c. 1.* §. *34. sqq.*

h) e. g. *2. F. 8. vers. è contrario.* vid. *Bitsch. ibid.*

i) Sächsisch Landr. *art. 34. l. 1.* cujus verba citat *dissert. Thomas.* §. *9.*

k) sicut eo nomine dubium movet *Thomasiana dissertatio d. c.* §. *59.*

l) *Knichen de pact. vest. p. 1. c. 3. n. 277.*

VIII. Natura F. Obl. non aliter investigari poterit solidius, quam indagando conceptum ejus tum communem tum proprium. Quoad illum est, *m*) qui adeo late loquatur, ut pro genere venditet *Jus inter duos*; at nihil obstat, quo minus propius descendamus, ac id, quod vel termini innuunt,

nuunt, dicamus: F. O. genus esse *Feudum*, *n*) cujus vocis quænam hic acceptio? dependere videtur ex controversia præjudiciali, in quo significatu Feudum in genere definiendum? *o*) non aliunde potius, meo judicio, decidenda, quam ex eo, ut videamus, quænam acceptio primæva quasi & magis propria sit. Sicuti vero negari nequit, & *contractui feudali* designando *p*) & *juri* quoque ex isto contractu resultanti *q*) vocem isthanc adhiberi; ita primæva tamen ac genuina videtur significatio, *r*) qua *rem ipsam* denotat; exinde vero cæteræ per translationem *s*) quandam oriundæ. Unde nihil quidem impedit, quin & in prioribus illis *t*) definiatur & F. O.; Sed non tamen rejiciendi videntur, *u*) qui malint posteriorem. *x*)

m) Hert. p. 2. §. 3. cui F. O. est *Jus inter duos, quorum unus rem suam sub fiducia mancipat, alter eatenus volenti remancipat, peculiari mutuæ fidei datione adfectam.*

n) Ita Taborskij hnogr. feud. I. 7. cujus hæc est definitio: *Feud. Obl. esse feudum, quod à vasallo de patrimonio suo oblatum est domino ea lege, ut ipsi offerenti vicissim in feudum conferatur.* Et Struvius cit. Thomas. diss. c. 1. §. 31. qui dicit *esse Feudum, cujus dominium plenum in dominum à vasallo translatum, utile vero iterum cum vinculo Vasallatico ab eo acceptum fuit.* Et Thomas. diss. ipsa §. 47. ex cujus mente est *feudum quo dominus de re antea ipsi à vasallo sub conditione investiendi tradita, vasallum investit.*

 o) quo-

o) quoad methodum quidem feudalis juris nihil interest, explicante *diss. Thomas. c. 1. §. 31.* at accuratioris tamen doctrinæ causa ventilandum videtur.

p) ita videtur accipi posse *2. F. 3.* pr. ibi: per feudum investituram facere. add. *1. F. 28.* ibi: *investire* ipsum de jam dicta terra *per feudum* debet. *2. F. 10.* post pr.

q) ita plerique. sufficiat allegasse *Gothofr. Anton. disp.* 1. *th. 2.* & *Schnobel. d. 1. th. 19.*

r) patere id potest vel ex derivatione vocis à **fee & od/** quam veriorem utique ac cæteris præferendam omnibus judicarem. conf. novissime ista explicans Clariss. Schilt. *de Nat. Succ. feud. cap.* 1. §. 3. Add. quod & contractus feudalis speciale sibi nomen *investituræ* habeat; & jus quoque exinde ortum resp. vasalli vel *ususfructus* vel *dominium utile*, resp. domini vel *proprietas*, vel *dominium directum* dici soleat.

s) ita in prima quis diceret, metonymiam effectus pro causa, in altera metonymiam causæ pro effectu intervenire.

t) ita in prima *Thomas. diss.* in altera *Dn. Hert. loc. supr. cit.*

u) non obstante ratione, quod eodem in significatu feudum definiendum, in quo dividitur. conf. infra *posit. 22.*

x) ita videtur & *Struvii* & *Taboris* definitio intelligenda.

IX. Quod conceptum proprium attinet, evolvenda videntur duo, quæ hic interveniunt negotia; *y)* quorum primo id agitur, ut res à me in alte-

alterum transferatur; altero id, ut ab eodem illa sub nexu feudali mihi restituatur. Prius illud à potissima sui parte vocari poterit *Oblatio in Feudum*; posterius *Concessio feudi.* Illud præcedit & est quasi præliminare; hoc sequitur & est principale; quippe cujus gratia prius illud celebratum præmissumque est. Considerandum vero & utrumque in se; & eorum præcipue connexio sive dependentia à se invicem.

y) solide id ac luculenter tradit Illustris *Eyben. Elect. Feud. cap. IX.* §. 21. qui tamen mavult ista sub nudo duplicis actus vocabulo distingvi.

X. *Oblatio in Feudum*, dubium non est, quin translationem dominii in alterum z) contineat; unde seorsim notanda: & titulus & modus acquirendi, & persona alienans & acquirens, & quid denique, quove effectu ab uno alienetur, ab altero acquiratur. *Titulus* tanquam causa acquirendi præcedit, & hic etiam celebratur vel per actum inter vivos, donationem, *a*) venditionem &c. & parit jus ad rem, unde actio personalis; vel per ultimam voluntatem, cum legatur alicui dominium directum, & parit etiam jus in re, unde actio realis, prout communia principia huc adplicat, ac late deducit Struvius, *b*) qui & alterum ex

ulti-

ultima voluntate titulum *c*) adducit, qui tamen ad Feuda Oblata referri nequit. *d*)

z) vel per ea quæ de origine F. O. tradita sunt *supr. posit. 2.*

a) de qua disputatur an insinuatione opus habeat? Negant aliqui eo *quod remuneratoria hic sit*; quam rationem sicut merito rejicit *Dn. Hert. II. 27.* ita an ratio quam ipse substituit, quod *feuda nullum familiis detrimentum creent, cui evitando* tamen *insinuatio sancita*, rem conficiat, subsistere quis posset.

b) *cap. 7. aph. 10. n. 3. sqq.*

c) ubi scil. unus institutus est hæres in dominio directo, alteri relictum dominium utile.

d) nec resp. testatoris, nec resp. legatarii vasalli; conf. *diss. Thomas. I. 5.* licet respectu utriusque dici possit *delatum.*

XI. *Modus* acquirendi continet & traditionem ab una *e*) & acceptationem ab altera parte. Traditio fieri hic, ut alias potest vel vere sive naturaliter, ubi possessio vacua transfertur in dominum; vel ficte sive civiliter, ita ut nulla realis translatio interveniat; habeatur *f*) tamen ac si intervenisset; prior modus tutior, *g*) hic frequentior, & æque validus de jure, cum rationem constituti possessorii habeat. Acceptatio vel statim oblationi ex altera parte respondet, & simul quasi intervenit, ubi conventione res acta; vel mortem demum

mum

mum offerentis sequitur, ubi ultimæ voluntatis titulus intercedit; hic enim declaratur voluntas, agnitione legati.

e) quæ specialiter oblationis nomine insignitur. *Hert. p. 1. §. 26.*

f) quod eleganter sub exemplo exponitur ab *Ulpiano l. 15. de R. C. cum*, inquit, *ex causa mandati mihi pecuniam debebas & convenerit, ut crediti nomine eam retineas, videtur mihi data pecunia, & à me ad te profecta.*

g) monente *Rosenthal. c. 6. concl. 68. n. 17. lit. t. f.*

XII. Ficta, quam modo dixi, traditio ubi titulus præcessit verus, valida indubie; quod si quis absque præcedente promissione rem suam sciens allodialem in feudum ab altero recognoscit, *h*) an id valeat? dubitatum, ob axioma, *i*) quod fictio fictionis non datur. Verum & brocardica ista sæpe sunt subleſtæ fidei, *k*) & titulus donationis, in casu, quem supponunt, non tam fictus est quam præsumptus, *l*) sive ut alii malunt, quibus fingi & præsumi æquipollet, non tam præsumptus, quam aperte præsumptus *m*) vel potius, non tam ex præsumpta, quam tacita voluntate derivandus. *n*) Si ex jure Gentium res decidenda, constat, eidem non repugnare, *o*) nudis conventionibus dominia transferri, *p*) ut adeo ne quidem opus esset traditionem fingi. Neque hinc alienum videtur,

quod in donatione & modus & titulus concurrant, quo respicere videtur Dn. Hertius. *q*)

h) ita ut in literis investituræ tantum legatur: *Ego Sejus sciens fundum meum Tusculanum à Titio in feudum accepi.* non: *Ego Sejus sciens fundum meum Tusculanum esse allodialem, EGI cum Titio, UT AB IPSO eum in feudum RECOGNOSCAM.*

i) traditum etiam à *Barbosa Voc. Fictio.*

k) adeoque non conficiunt nisi argumentum probabile, quo & digitum intendere videtur *Dn. Hert. p. 93.* quem hoc tamen nomine sub censuram vocavit *dissertatio Thomasiana c. 1. §. 54.*

l) videtur enim utique inter hæc duo differentia posse constitui.

m) ita *Rosenthal. c. 6. concl. 68. n. 15.*

n) prouti vult *diss. Thom. l. c.* §. 57. ubi & axioma illud limitat.

o) *Grot. de J. B. & P. II. 6. 1. II. 8. 15.* ibique Ziegl. & cujus memoriam nepos veneror B. Bœcl. *comment. pag. 204. seq.*

p) ita in titulo ultimæ voluntatis solam voluntatem sufficere dicitur. *Dn. Eyb. c. 4. §. 10.*

q) cum *duos actus* istos, donationem dicit, & rei donatæ traditionem *amice invicem*, ait, *conspirare, & posteriorem priorem quasi sponte sua inferre.*

XIII. Persona alienans hic est, qui offert, futurus Vasallus; *r*) acquirens, cui offertur, futurus dominus. *s*) Offerendi facultatem habet, qui

qui alienandi *t*) in genere; unde ubi hæc per pacta familiæ, Ganerbinatus *u*) &c. adempta, & illa censetur adempta; ubi hæc restricta e. g. ad liberorum legitimam, & illa censetur restricta. *x*)

r) hic enim rem inbeneficiandam contribuit, & cum hactenus haberet dominium plenum; id jam agit, ut utile sibi tantum reservet.

s) conf. Ill. *Fyben. Elect. c. 9. §. 18.*

t) *supr. th. 10.*

u) sive ea clausula expresse sit inserta, sive non; ipsius enim pacti Ganerb. vigore alienationis prohibitionem contineri verius est.

x) conf. Exc. *Dn. Strykii Exam. J. Feud. cap. 4. q. 19.*

XIV. Circa Acquirentem itidem in thesi regula communis *y*) tenenda; in hypothesi, an potentiori liceat offerre, dubitatum à quibusdam *z*) per leges Romanas *a*), quæ cessionem jurium in potentiores prohibent; at illis non obstantibus, *b*) & oblata esse pleraque *c*) & offerre licere potentioribus existimo; nisi res in feudum offerenda sit litigiosa. *d*) Aliter procedunt in quæstione: An civibus liceat bona sua in feudum offerre extraneo? ubi tutior aliis videtur negantium *e*) philosophia, quæ vix tamen in universum probari poterit. *f*)

y) quod qui alias acquirere non prohibeatur, & hic possit.

z) nominatim à *Dn. Hert. de F. O. p. 1. §. 14.*

a) *l. 1. 2. C. ne lic. potent.*

b) cum de cessione actionum loquantur, in oblatione vero in feudum potius intercedat alienatio corporis.

c) hæc enim, ut supra dictum, vel potissima ratio fuit offerentium, ut potentum hac ratione clientelas ambirent.

d) hæc enim exc. ad alienationem corporis pertinet *tt. de litig.* altera de *alien. jud. mut. caus.* ad F. O. adplicari nequit.

e) & quoad principem, & quoad extraneum. conf. *Thomas. diss. c. 2. §. 19.*

f) an enim obligatio subditi, qua talis, eo usque valeat; itidem an ex vi eminentis dominii id confici queat; non adeo expeditum reor.

XV. Quænam res offerri possint? in thesi itidem ex communi commercii jure æstimandum; *g*) quod huc spectat dubium est: quid per oblationem rei in alterum hic transeat? Liberum omnino dominium transire nemo est, qui adserat; *h*) an plenum, *i*) an directum, *k*) an jus aliquod medium ac irregulare? *l*) disputant. Sicut autem ante investituram sive contractum feudalem directum dici nequit; *m*) ita nondum apparet, cur entia hic multiplicanda præter necessitatem; cum rationes *n*) allatæ non videantur efficere, quo minus

nus

nus dici possit: transferri dominium plenum, o) sed cum obligatione restituendi partem. p)

g) *diss. Thomas. c. 1. §. 3.* de qq. circa objectum specialibus infra quædam.

h) cum ex conditione *de restituendo in feudum* adjecta libertas utique restringatur.

i) ita Illustris *Eybenius l.c. & Dn. Struv.* in definitione supra cit.

k) quod quidem solum ita transferri, ut maneat apud dominum, certum est.

l) conf. omnino *cit. diss. Thom.* §. 49.

m) cum ea ratione nihil foret, quod conferret vasallo dominus; si ipse sibi reservaret dominium utile vasallus, ac in dominum non nisi directum transferret.

n) quod enim dicitur: *conditionem adjectam tendere ad diminutionem plenitudinis;* ita forte limitari poterit, ut dicatur: conditionem inferre *ne* plenum dominium in domino *maneat, non, ne sit* ab initio & ante investituram.

o) cujus quippe effectus est: utile alteri concedere per investituram.

p) huc certa ratione adplicari possunt, quæ *de jure Retrovenditionis* commentatus est *Cl. Schilt. p. 3. prax. Art. Analyt. in jur. c. 5. n. 9.*

XVI. Vidimus prius negotium; sequitur alterum, quod supra q) concessionem feudi diximus; in quo consideranda investitura r) ac Traditio. Investituram etsi alii per actum, s) alii per traditionem t) ipsam definiant; prius tamen non

 nisi

nisi voce generaliter; *u*) posterius non nisi abusive *x*) accepta admitti potest; specialius & proprie si consideretur, nihil aliud est, quam *contractus*, *y*) *quo dominium utile confertur alteri sub mutua obligatione fidei.*

q) *pos. IX.*

r) alii concessionem feudi ab investitura ac traditione distingvunt. vid. *Struv. S. J. F. c. VII. aph. 11.*

s) ita *Dn. Struv. l. c.*

t) ita *Dn. Stryk. Exam. J. F. c. XII. qu. 3.* qui cum *Struv.* contractum feudalem praecedentem supponit; ex nostra hypothesi, quod praecedit, contractum praeambulum aut forte pactum potius de contrahendo appelles.

u) quatenus actus civilis summum fere JCtorum genus constituit, & sub se contractum quoque complectitur.

x) proprie enim acceptae essentia consistit in contractu feudali.

y) an nominatus, an innominatus? si illud, an consensualis, an realis an literalis an verbalis? nihil interest, dum teneatur, poenitentiae locum non esse. Nominatum quidem, at nulli Rom. speciei accensendum sed feudalem tanquam speciem monadicam statuit *dissertat. Thom. c. 1. §. 38.* Tentari posset, annon mixtura contractuum hic locum sibi vindicet?

XVII. Intercedit in hoc contractu actus à parte domini, intercedit & à parte vasalli; ille vocatur specialiter investitura *z*); hic vero consistit in fidei promissione à vasallo facienda. Sicuti vero

to illa fit certa solennitate symbolorum & testium; *a*) ita nihil hic est, in quo diversum quid habeant feuda oblata. Quoad fidei promissionem, notissimi juris est: *b*) fidem à Vasallo expresse promitti; à domino non nisi per consequentiam; in F. O. cum & finis *c*) ejusdem sit fides Domini & alias etiam rationes contrariæ; *d*) quæri posset, annon Dominus ad disertam juratamve fidei promissionem teneatur? Etsi vero pactis id effici specialibus omnino possit *e*); in universum tamen tenore consvetudinis aut analogiæ J. Feud. aliquid hic immutatum, *f*) probatu difficilius est, *g*) quam quod adseri possit.

z) conf. *Dn. Struv. S. J. F. c. VIII. aph. IV. n. 1.*

a) quas nullus non DD. explicat; post alios etiam *Dn. Struv. c. VIII. aph. V.*

b) *Id. l. c. aph. 7.*

c) conf. *supra pos. 3.* ubi potissima F. O. causa dicebatur ambitum potentiorum patrocinium.

d) alias enim Vasallus accipit beneficium à domino; hic in effectu acquirit dominus; alias dominus primus fere ambit fidem vasalli; hic vasallus domini.

e) cum nihil impediat, quo minus essentialibus feudi circa mutuam fidei promissionem hoc adjiciatur, ut & à parte domini fieri debeat per juramentum.

f) conf. *diss. Thom. c. 2. de F. O. §. 54.*

g) quod enim ad rationes supra allatas attinet, ex

nec

nec adeo sunt evidentes, ut peculiare quid hic conficiant; nec jure etiam feudali confirmatæ; quin potius ad reverentiam domino debitam hic respicitur, quæ & in F. O. obtinet.

XVIII. Traditio hic â domino facienda mensuram capit ex traditione à vasallo prius facta; aut enim res corporaliter tradita est; & potest iterum â domino naturaliter tradi; aut â vasallo tradita est civiliter tantum, & hic quoque traditio ficta obtinet, quam supra *b*) diximus constituti possessorii. Ad investituram interea, quæ traditionem rei *i*) & præcedere & sequi & comitari potest, nihil facit modus tradendi; *k*) ut adeo abusive loquantur, qui propriam investituram, non nisi eam appellant, *l*) cui corporalis accedit traditio, alteram, ubi non nisi symbola adhibentur, abusivam vocantes. *m*) Utraque enim transit jus feudi, *n*) sive dominium utile, non obstantibus, quas prolixe adducunt dissentientes, rationibus; *o*) quæ vero de traditione dicta, ad possessionem pertinent. *p*)

b) conf. qua dicta *pos. XI.*

i) prouti id diserte tradit *Dn. Struv. c. VIII. aph. 2. n. 2.* quem sequitur hactenus Ill. *Eyben. El. Feud. c. 5. §. 16.*

k) sunt enim Actus prorsus distincti. conf. *Domin. Hert. p. 2. §. 33.*

l) ita plerique omnes idque ex *2. F. 2.* primus fere id aliter explicavit *Dn. Eyb. l. c.* quem absque hæsitatione secutus.

m) vid.

m) vid. post alios etiam *Dn. Struv. l. c.*

n) quod erudite ac solide probat *Eyben. c. cap. 5.* & fatetur etiam *Dn. Struv. d. c. aph. 5.* licet postea expresse disputet contra eos, qui jus in re sive jus feudi transire statuunt. *aph. 9. & not.*

o) *Struv. d. l.* qui prolixe etiam ad contrariæ sententiæ rationes respondet; à quibus tamen responsionibus, quando dabitur in conflictu occasio, easdem vindicare conabimur.

p) quæ utique separanda præsertim jure Gentium, quo non obstat sine possessione dominium transferri. Huc autem referenda etiam distinctio inter possessionem naturalem & civilem.

XIX. Sicuti vero duo isthæc negotia, quæ in compendio quarundam thesium exhibuimus, aliquando nonnisi præsumpta interveniunt in præscriptione; ita cum in feudis datis hæc ita contingat, *q*) ut vasallus rem domini jure feudi acquirat; hic ita intercedit, ut dominus in re vasalli dominium sibi directum præscribat; *r*) idem vero censetur in utroque casu effectus; *s*) cum & idem tempus, *t*) & eadem quoque ratione b. f. *u*) & possessio *x*) requiratur. Fuerat autem de negotiis istis, ut vere interveniunt, agendum, cum hoc videatur constituere regulam; *y*) illud ad exceptionem pertinere.

 q) huc

q) huc facit textus Juris Longobard. in hac materia præcipuus *2. F. 26. §. 4.*

r) conf. *Dn. Struv. c. VIII. aph. XII. num. 2. & Dn. Hert. de F. O. p. 2. §. 32.*

s) non obstante ratione, quod plures hic actus requirantur, ad quam ex supra dictis responderi potest. conf. etiam *Hert. d. l.*

t) 30. annorum, quod non moribus tantum Longob. receptum, sed jure etiam Teutonico, id quod occasione *Codicis Theodosiani* factum non improbabile est.

u) ita ut & ab initio & progressu temporis adesse debeat; hanc enim sententiam sequi animus cum *Dn. Struv. c. VII. aph. ult.* non obstante ratione, quod præscriptio feudi analogiam habere videatur cum præscriptione servitutem.

x) conf. *Dn. Struv. d. c. a. 12. n. 3.*

y) non quidem ea ratione quasi præscriptio non faciat nisi exceptionem perpetuo possidendi, quod & in allodialibus hodie explosum; sed quod primariam F. O. speciem constituat feudum, ubi recensita vere interveniunt.

XX. Connexio porro horum negotiorum, uti supra *z)* jam innuimus, hæc est, quod posterius à priori dependeat, ita ut res offeratur, alteri non absolute, *a)* sed in feudum sive ita ut per concessionem in feudum debeat reddi. Quod aliqui *b)* ex jure Romanorum veteri ita illustratum ivere, ut prius illud negotium mancipationi, posterius reman-

mancipationi compararent; utrumque conjunctum vocarent mancipationem contracta fiducia. Atque in hac demum connexione negotiorum istorum circa constitutionem F. O. occurrentium ac dependentia *c*) genuinam eorundem differentiam specificam latere existimamus.

z) *pos. IX.*

a) unde feuda, quæ ante plenissime à vasallo in dominum translata, absque conditione, ut eadem rursus in feudum redderentur; non sunt oblata, sed data. conf. *diss. Thom. c. 1. §. 48.*

b) primus id, quantum scio, protulit, ac eruditissime explicavit Ill. *Eyben. Elect. Feud. c. 9.* §. 2. an autem in definiendo F. O. his ille terminis uteretur, prout supra vidimus *D. Hertium* fecisse, non deest, cur dubitetur.

c) nec dissentiunt, qui ad F. O. requirunt, *ut res, quæ à domino in feudum conceditur, (1. sit ante à vasallo in dominum translata, (2. ea conditione, ut in feudum detur.* vid. *diss. Thomas. l. c.*

XXI. Explanata hactenus pro ratione instituti F. O. natura in universum, definiamus F. Obl. quod sit *Feudum d*), *de quo dominus vasallum, cum id ante sub conditione investiendi ab eo accepisset, investivit.*

d) pro re feudali jam acceptum sive feudo jam constituto.

XXII. Cum vero duo sint feudorum gene-

iae), propria & impropria; quæstio capitalis fere est, quibusnam accensenda F. Obl.? Equidem impropria esse posse ex aliis rationibus, f) nemo est qui dubitet; an qua talia sint impropria, quæritur. Ubi præsupponendum, quod etsi fundamentum improprietatis ex contractus tenore plerumque dependeat, nihil tamen repugnet, quo minus ipsa divisio & ad reliquas feudi acceptiones pertineat, g) dicaturque Feudum, etiam qua rem qualitatibus civilibus sive potius feudalibus adfectam denotat, in communi, h) quod essentialia feudi salva; proprium quod essentialia feudi & naturalia habet, iisque contentum est; improprium, quod vel essentialibus aliquid adjectum, vel naturalibus ademptum habet.

e) fundatur ista divisio in *2. F. 33. & 2. F. 48.* improprium dicitur & *degenerans, feudastrum.*

f) e. g. quod juramentum, quod servitia vasallo remissa.

g) Est equidem, qui probare intendit, non in alia, quam contractus significatione divisionem posse accipi; eo quod (1. antiqui feudalium DD. per contractum definivere. (2. quod naturalia, & accidentalia, à JCtis Romanis non nisi de contractibus prædicentur; verum sicuti prima ratio id non evincit, ita ad posteriorem not. quod utique & de aliis actibus civilibus, imo & de rebus qualitate morali adfectis dici possint, essentialia, &c. conf.

Viri

Viri Cl. *Joh. Schilt. prax. Art. Analyt, p. 101.* add. *Struv. S. J. F. p. m. 59.*

b) ita *diss. Thomas. c. 1. §. 39.* sed feudo pro contractu accepto.

XXIII. Quænam vero sint feudi essentialia, naturalia & accidentalia; illud sicuti quoad rem ipsam, utique dependet; in communi ex moribus Gentium, in specie vero ex determinatione *i*) τοῦ κυρίου in Rep. vel expressa vel tacita; *k*) ita quoad terminos nihil impedit, quo minus ex doctrina prædicabilium illustretur, *l*) ita ut dicatur: *m*) *Essentialia* esse, quæ vel essentiam constituunt, ut Genus & differentia; vel necessario essentiam consequuntur, *n*) ut proprium; *Naturalia*, quæ regulariter insunt, salva tamen essentia detrahi possunt; accidentia inseparabilia; *Accidentalia* vero quæ regulariter separata, nisi speciali conventione adjiciantur, unde & conventionalia dicuntur.

i) huic enim potestas competit determinandi, quænam qualitas rei necessario debeat inesse, ut sit feudalis, & in quantum vicissim qualitates vel addere vel adimere liceat constituentibus feudum. conf. *diss. Thomas. cap. 1. §. 35.*

k) dum aliquid circa rerum civilium constitutionem invalescere permittit.

l) præstitit id pro more suo, sive quod idem est erudite ac solide, quem ut alterum beneficiis Parentem ve-

nerot *Cl. JCtus Job. Schilt. in prax. Art. Anal. in jur. cap. 1.* §. 17. *& seqq.* ubi distinctionis istius originem, ab ovo, quod ajunt, repetiit.

m) conf. *Dn. Struv. S. J. F. c. 11. aph. 5. sqq.*

n) etsi dissentiant & hæc vel ad essentialia prioris generis, vel ad naturalia referenda aliqui existiment.

XXIV. Sicut itaque Essentialia feudi cognosci possunt, ex definitione Feudi in genere, quæ ex nostra hypothesi hæc esse poterit, quod sit *Res, de cujus dominio utili quis retento dominio directo, alterum sub mutua fidei promissione investivit o*); ita in Naturalibus definiendis, quorum deinde mutatione fiunt Accidentalia, res non adeo expedita est. Cum enim feudo cohæreant qualitates, quarum mutatio feudum non efficit improprium *p*) e.g. nobilitas adjuncta, quæritur, quænam itaque qualitates ad naturalia referendæ? Sunt qui leves inde excludi putant *q*), alii rectius, eas demum, quæ æque frequenter & adesse & abesse soleant *r*). Videtur autem temporis quoque ratio aliqua hac in re habenda, *s*) neque feudi natura hodie ex Jure Longobardico unice *t*) derivanda.

o) requisita scil. essentialia sunt: pertinere, quoad dominium directum, ad unum, quoad utile, ad alterum; illos sibi invicem mutuam fidem promittere; unde

de essentiale consecutivum, obligatio feudalis rei annexa.

p) ita feudum aliud ecclesiasticum, aliud sæculare; neque tamen una species proprium, altera improprium dicitur.

q) quos optime refutat *differt. Thom. d. l.* cum si transmissio ad masculos e. g. non habeatur pro levi qualitate, non appareat, cur in hoc censu haberi debeat indivisibilitas feudi.

r) e. g. æque cum nobilitate ac sine ea dari solent feuda.

s) ita ut quod e. g. olim indifferentem, ut ita dicam, qualitatem constituit, hodie naturæ feudi inhæreat, & vicissim. Ita feudum, cui pactum adjectum, ne veniat ad successores, hodie improprium, cum primæva tamen natura feudorum hæc fuerit. *1. F. 1.* conf. *Struv. S. Jur. F. II. 9. not.*

t) conf. *supra pos. 1. 2.* præcipue apud Germanos, quos consvetudines Longobardicæ qua tales non obligant, quique mores hac in re suos habent singulares.

XXV. Plane etsi regularis aliqua natura deprehendatur *u*) non minus circa occasionem contractus, modum contrahendi, & personas, quam circa jura ex negotio isto profluentia; illa tamen vix aliter consideratur, quam quatenus aliquam etiam in effectu juris, quo res vel ex dispositione legis, vel ex conventione hominum adficitur, differentiam constituit. Proinde duplex quidem statui

tui poteſt *x*) feudum improprium; unum, quod jus domini vel vaſalli alterat, alterum, quod non alterat; proprie tamen & juridice *y*) non niſi illud dicitur improprium, ſaltem ex tenore Juris Longobardici. *z*)

u) unde & ex pacto irregularitas accidere poteſt. *diſſ. Thom. c. 1. §. 42.*

x) prouti id erudite explicatur. *d. diſſ.*

y) cum res morales potiſſimum ex effectibus dijudicentur.

z) in cujus textu capitali *2. F. 48. ut & 2. F. 33.* nonniſi poſterioris generis feuda impropria occurrunt; huc referenda formula in poſteriori loco: *proprii feudi jure cenſetur.*

XXVI. His præmiſſis, breviter videndum tum quænam in F. O. occurrant irregularia tum an & quem ea juris quoque effectum habeant? Quod ad prius attinet, irregulare quid eſſe alii dicunt, ratione contractus feudalis in genere *a*), alii ratione conſtitutionis *b*); alii ratione acquiſitionis *c*), alii ratione finis *d*), alii ratione objecti *e*); mihi, quam ſupra dedi, partitio ſervanda. Sicut itaque in poſteriori negotio in ſe conſiderato nihil occurrit, quod non & in datis feudis obtineat; ita irregularitas omnis quærenda eſt, tum in priori negotio, tum in connexione eorum. Scilicet in feudis datis

datis res originarie quasi venit ex patrimonio domini; *f*) hic ex Vasalli; in illis alienat dominus, acquirit vasallus; hic alienat vasallus, acquirit dominus; &, quod vel potissimum videtur, in illis, quæ præstat dominus, facit libere & ex benevolentia; hic ex promisso; in illis leges ac conditiones præscribit dominus; hic à vasallo dependet, qua ratione sibi velit sub nexu feudali restitui. Cum enim necessario præcedere hic debeat Oblatio in Feudum, exinde utique formam capit, quæ subsequitur, Feudi Restitutio.

a) huc referenda sententia *diss. Thomas. cap. 1. §. 61.* quæ feudum oblatum pro contractu acceptum, improprium esse ait, ob alienationem vasalli necessario præambulam.

b) ita *Dn. Hertius* fere, qui feuda oblata in actu constitutionis considerata, dicit impropria, non vero ut constituta.

c) ita *Dn. Stryck. Exam. J. F. c. 4. q. 17.* quia, ut inquit, res mea mihi in feudum datur &c. Et ***Wurmser. de Feud. impropr. Class. 3. Sect. 8.*** quia non acquiratur ut beneficium.

d) ita ***Wurmser. ibid.*** cujus ratio est, quod Nobiles offerendo feuda non eo hæc faciant, ut præjudicium sibi generare velint, sed ut abundantiori cautela sibi provideant; ad quam prolixe respondet *diss. Thom.*

e) ita ipsa *diss. Thom. §. 62.*

f) conf. ead. §. 61.

E XXVII.

XXVII. Quoad alterum, praenotandum, quod ex feudi constitutione prodeat *g*) & jus in re, idque vel domino competens, quod dominium directum, rectius dirigens *h*); vel vasallo, quod utile, rectius forte dependens appellatur; & in ipsa quoque re feudali radicatum *i*) Jus ad rem, utrique competens ad exigendam ab altero fidelitatem; domino & ad servitia à vasallo ac reverentiam requirendam. Jus in re itaque quod attinet, nihil hic diversum, ubi res semel feudalis facta, nisi quod fortius videatur in persona vasalli ac familia radicatum dominium utile. In jure ad rem, cum obligatio in domino alias non sit nisi secundaria & per consequentiam; hic videtur aeque primaria ac principalis esse.

g) hae enim sunt partes integrantes, in quas abit feudum, uti pro jure ex contractu feudali oriundo capitur, prouti id explicat Ill. Dn. de *Eyben Elect. Feud. c. 11. §. 3.*

h) unde & *superius* hoc, alterum *inferius* dicitur.

i) hinc non obstat doctrina ista hypothesi nostrae, qua feudum pro re feudali acceptum definiendum diximus; etsi enim & personae jure aliquo adficiantur invicem; illud tamen fit propter rem, & quia res in feudum data; absque hac si foret, posset quidem obligatio fidelitatis mutua subsistere, sed non esset feudalis.

XXVIII. Utramque differentiam sunt qui adeo

adeo extendunt, ut F. O. protectionis sive clientelæ potius, quam feudi naturam habere statuant *k*); quorum sententiam sicuti analogiæ juris haud consonam reor; ita aliud dicendum videtur de iis, qui non tamen adeo cito à vasallo amitti eadem statuunt *l*). Hoc enim licet itidem negatum aliis nec juris feudalis analogiæ *m*) videtur contrarium, nec idoneis etiam in æquitate naturali *n*) fundamentis destitui licet de observantia fori mihi pronunciare *o*) fas non sit.

k) quos citat Clar. *Itterus de Feud. Imp. I. 11. Dn. Hert. de F. O. p. 110.*

l) quod & statuit laudatus modo *Clar. Itter. d. L.* licet priorem illam opinionem itidem rejiciat, sub censuram ideo vocatus *dissertationi Thomas. c. 1. §. 65.*

m) quæ rigorem quidem circa causas amittendi feudi stabilivit; sed exceptionem tamen quoad oblata admittere videtur vel ex eo, quod summa rigoris istius ratio videatur consistere in crimine ingrati in dominum, qui beneficium elargitur, commisso; quod in datis potius quam oblatis feudis obtinere ex dictis patere potest.

n) cui utique non conveniret, ob causam levissimam e. g. non petitam justo tempore investituram, statim exui re sua vasallum, quæ tamen originarie ab ipso venit, & cujus conservandæ gratia ipse dominium directum in dominum transtulit; & hoc est quod dicunt: *in pristinæ libertatis & dominii memoriam hoc fieri.*

o) conf. *Itter. d. l.* qui Practicos hanc in rem adducit bene multos.

XXIX. Proinde, ut ad quæstionem principalem redeam; cum F. O. alii statuant absolute improprium *p*), alii absolute proprium *q*), alii denique non nisi ex occasione contrahendi improprium *r*); mihi videtur utrovis *s*) modo & ratione circumstantiarum circa constitutionem, & ratione aliquorum effectuum dici posse improprium, saltem in causa privationis; salva de cœtero & hic regula *t*) quod feuda impropria in reliquis retineant naturam feudorum propriam.

p) *Wurmser. cl. 3. sect. 9.* & alii citati Illustri *Dn. Eyben. Elect. Feud. c. 9.*

q) *Tabor. Ichnogr. I. 7. Dn. Rhet. ad 1. F. 1.*

r) sive, quod eodem recidit *in actu constitutionis* considerata *Dn. Hert. de F. O. p. 2. §. 1. diss. Thom. c. 1.*

s) supra *pos. XXV.*

t) tantum non ab omnibus inculcata. conf. *diss. Thom. c. 1. §. 45.*

XXX. Hæc de F. O. in genere; notari adhuc potest in specie circa rem offerendam, quod non propria tantum, sed & aliena offerri possit *u*), quod si fiat, sub titulo oneroso *x*), non est dubium, quin ad evictionem teneatur offerens; si sub titulo donationis, quæritur? Sunt qui negant *y*),

sed

sed rectius videntur alii & hoc casu adfirmare z), quod non hic donatio simplex sed cum qua negotium mixtum a), sive ut alii luculentius explicant, donatio ob causam b) sive sub modo intercedat. Alii non nisi remuneratoriam c) ad feudum applicant, sed id vix est, ut in universum defendi possit.

u) non quidem ut aliena, sed ut propria, non ut res illa maneat penes dominum, licet verus rei dominus interveniat, sed ut illius loco detur alia. *Struv. S.J.F. VI.9.*

x) sive tali qui alias evictionis obligationem continet, e.g. empt. vend. *Id. ibid.*

y) *Struv. d.l.* & eum secutus *Hert. p. 2.* §.7. cujus ratio potissima à feudis francis desumpta, falsa videtur niti hypothesi, quasi in iis evictio locum non habeat; cæteræ partim nihil singulæ efficiunt, partim ex rationibus in th. subjectis refutari possunt, prouti id fecit *diss. Thomas. c. 2. §. 5. 6. 7.*

z) *diss. Thom. l. c.* & ex ejus recensione Dn. *Struv. disp. de F. O.* qui hactenus sententiam suam mutare non est veritus.

a) quale hic utique est, nimirum investitura sequens. conf. Dn. *Bitsch. ad 2. F. 8. not. 9.*

b) ita *Struv. & disp. Thom. dd. ll.*

c) neque enim illa in feudis datis semper occurrit, nedum in oblatis; causa præterita non semper adest; at causa futura.

XXXI. An bona Avita, (Stamm-Güter) in feudum offerri possint? quæritur; Etsi vero

 sint,

ſint, qui negantium ſententiam reſtringant ad Jus Saxonicum de alienatione bonorum iſtorum ſine alienatione hæredum; vel peculiarem conſvetudinem feudalibus ea æquiparantem *d*); videtur tamen in univerſum negari poſſe *e*), cum cenſeantur fidei familiæ apud Nobiles regulariter commiſſa.

d) *diſſ. Thom. c. 1. §. 9.*
e) *Dn. Hert. c. 2. §. 9.*

XXXII. Res munes ſive oneribus publicis ſubjectas, quod attinet, poſſunt illæ in feudum offerri Principi etiam ad effectum immunitatis *f*); quin & alii conſentiente principe; an & non conſentiente? quæritur, Reſp. affirm. *g*) tum in iis locis, ubi bona feudalia ab oneribus publicis non ſunt libera; tum in iis, ubi ſunt libera *h*); in his tamen ita, ut contra regulam feudorum maneant munes.

f) per rationes adductas *Dn. Rhet. comm. J. F. p. 47. ſeq.* limit. tamen in iis locis, ubi provincialium Statuum in his conſenſus requiritur. *Dn. Hert. p. 2. §. 18.*

g) neque enim rem conficere videtur ratio, quæ in negantem adducitur, à Jurisdictione Magiſtratus deſumpta; cum alia ſit jurisdictio civilis, alia feudalis.

h) arg. J. Civ. de alienatione rei, cui pactum illicitum de publicis oneribus adjectum *l. 3. C. ſine cenſu vel reli-*

reliquis, quod in casu deficientis juris feudalis haud incommode huc referri videtur. conf. *diss. Thom. c.* 2. §. 10.

XXXIII. Rei immobilitas, uti vix ad essentialia feudi referri *i*), ac definitioni inseri *k*) potest; ita ad naturalia tamen ejusdem omnino pertinet *l*), eo effectu, ut in re mobili fiat feudum improprium *m*); quod proinde & in Feud. Obl. obtinere censeo.

i) licet primævam hanc consvetudinem fuisse, non negandum; quod si enim ea cuncta, quæ ab initio in feudis obtinuerunt, ad essentialia velimus referre; quæremus hodie *Feudum in Feudo*.

k) conf. *Dn. Struv. c.* 2. *aph.* 3. *&* 5. *Dn. Stryk. Exam. J. F. c.* 2. *q.* 11.

l) neque enim hæc est qualitas, quæ æque frequenter & adest & abest.

m) non æquivocum, sed analogum; ita enim hanc div. accipiendam censeo cum *diss. Thom. c.* 1. §. 37.

XXXIV. Quod si res jam feudalis facta sit, Q. tum, an domino dominium directum iterum liceat alii offerre? tum, an vasallo rem, quam uni obtulit, & alteri possit offerre, ut sub vasallus ipse fiat? In priori sequar adfirmantes *n*), hoc vero non obstante in posteriori negantem, quoad thesin, cum nulla sit inter eas connexio aut analogia *o*).

n) *Ill. Eyben. c.* 10. §. 14. quem & sequitur *Dn. Hert. p.* 2. §. 8. & *diss. Thomas. c.* 2. §. 12.

o) ra-

o) rationes dubitandi eo nomine movet, & diluit *diss. Thomas. l. c.* §. *14. seqq.*

XXXV. Circa successionem videtur quid diversum hic obtinere; cum ratio restrictionis, quam in feudis datis favor domini constituit *p*) hic videatur cessare *q*); sed potius tamen, ut dicamus: Collaterales in F. O. nonnisi antiquo & quidem resp. ultimi possessoris *r*) consideratos admitti *s*); fœminas vero prorsus excludi *t*), nisi quod utrumque pactis expressis mutari possit indubie.

p) eum in modum, quo in usufructus, cum proprietate consolidatione favor proprietarii militat. *conf. Amplissimi Dn. Kulpisii diss. de Consolidatione.*

q) per ea quæ supra dicta *pos. 26.*

r) ad primum enim acquirentem, à quo jus suum derivant, quicunque succedunt, si respiciamus, non nisi descendentes admittuntur, atque ita credo, intelligi etiam voluit *Vultej. c. 9. num. 102.* licet sub censuram vocatus *Dn. Stryck. Exam. J. F. c. 16, q. 79* conf. *Dn. Hert. p. 1. §. 37.*

s) licet non desint, qui & hoc negent, conf. *Cl. Itter. de Feud. Imp. c. 15. §. 4.*

t) per regulam traditam *pos. 29.* qui dissentiunt, potissimum fundamentum ponunt in textu *2. F. 17.* de quo *supra pos. 5.* conf. *Gœdd. consil. Marpurg. Vol. IV. cons. 37. n. 720. seqq.*

XXXVI. Ad Jus Publicum in genere pertinet

net quæstio: An & regna possint in feudum offerri? in qua distinctio inter patrimonialia, & non patrimonialia Grotio *u*) explicata, adhibenda est, cum illa à Rege offerri possint sine populi consensu, hæc non item.

u) *de J. B. & P. l. 3. 11. ibique Comment.*

XXXVII. Jus Publicum Imperii Romano-Germanici si respiciamus, aliæ qq. occasione F. O. oriuntur, quæ ex historia potius Germ. decidendæ: aliæ, quæ proprie ad jura publica pertinent. Inter illas præcipua est de origine superioritatis territorialis, an oblationi Statuum ea adscribi possit? quam sicut ea ratione qua Montzambano, *x*) haud vereor adfirmare *y*), ita eundem à censura, quam hoc nomine passus est *z*), egregie vindicatum reor Thomasianæ diss. *a*) distinctione adhibita, inter originem feudorum ipsorum à Principibus Germaniæ possessorum, & potestatis illius, quam cum charactere eximio in eadem exercent *b*); etsi haud improbabile sit, aliquid quoque dedisse hypothesi suæ *c*) Scriptorem, quam semel induit, personam agere adprime doctum.

x) *cap. 3. de Stat. Imp. Germ.* §§. *prioribus 41.* inprimis; quem sequitur *Rachel. dissert. de Capitulat. c. 6.* §. *9.*

y) nisi quod hoc singularitatis videatur fovere oblatio ista; quod acceptatio alias libera, hic necessaria quasi

sit,

fit, necessitate saltem hypothetica. conf. *Dn. Schweder. Introd. J. P. p. 478. seqq.*

z) à Dn. *Hertio de F. O. p. 1. §. 15.* quem sequitur Cl. *Itter. de Feud. Imp. p. 24.* Accedit Ampliss. *Kulpis. in comm. ad Montz. l. c.* qui ad feuda data referre malunt, in quam sententiam inclinare quoque videtur *Reinking. lib. 1. Cl. 5. cap. 1.*

a) quæ operosa hac in re & verba cujusque citat, & rationes examinat *c. 1. §. 23. ad 29.*

b) sive feudorum consideratorum in se, & cum potestate illa; vel potius potestatis illius, uti conniventibus tantum Impp. exercebatur; & uti ex concessione deinde expressa cœpit exerceri; nam & ita forte res proponi posset.

c) cui convenientius ratus, ad oblata resp. originis propioris, quam ad data resp. ultimæ referre.

XXXVIII. Altera, quæ huc pertinet, controversia est de Feudis, quæ Electores ab Episcopo Bambergensi recognoscunt, ratione **der Ober-Aempter**, an data ea sint ab hoc, an ab illis oblata? Sicuti autem officia illa utique diversa *d*) ab iis, quæ Imp. præstant; ita bona, quæ hoc nomine possident, videntur ex devotione Eidem potius in feudum oblata esse *e*), quam ut Episcopus ea censeatur elargitus *f*).

d) quod post alios etiam probat *Dn. Schweder. part. spec. sect. 1. c. VIII.*

e) quod existimat *Auctor* **des wohlgegründeten Berichts**

Berichts &c. *citatus Limn. ad A. B. c. 27. §. 6. obſ. 29.* quem prolixe defendit *diſſertatio Thomaſ. c. 1. §. 22.*

f) conf. Vir. Cl. *Joh. Chriſt. Wagenſeil. de S. R. I. officialibus c. 18. §. 12.*

XXXIX. Ad Jus Publicum proprie ſpectat: an territoria Imperii olim amiſſa & à Statibus recuperata Imp. rurſus in feudum offerenda? Quoad quæſtionem juris videtur diſt. an publico nomine recuperata à Statu Imp. an privato; ſi illud, indubie reſtituenda; ſi hoc, territorium aut prorſus fuit de jure etiam amiſſum præſcriptione e. g. aut ſalva adhuc fuit prætenſio. In illo caſu ſibi ſervat Status acquirens; in hoc videtur ad reddendum obligatus, ita ut in priſtinum ſtatum redeat jure poſtliminii *g*). Quoad quæſtionem conſilii *h*), etſi nexus feudalis in Imp. hodie non ſit adeo magnus *i*); forte tamen rectius ſentiunt, qui vel hac etiam ratione imperio unienda cenſent *k*).

g) de his enim demum admitti poteſt, quod in univerſum adſerit *Burgold. Not. Imp. p. 1. & Pacif. à Lap. in Montzamb. p. 81.*

h) quam ex Academia in aulam ablegat *diſſ. Thomaſ. c. 1. §. 29.* Ad habitum interea Jurisprud. publ. pertinere, etiam de his agere, vel ex eo conſtat, quod prudentia ſit, non theoria; unde & ſunt, qui Politicam ſpecialiorem appellant. conf. omnino *Ill. Schilt. Inſt. J. P. MSt, lib. 1. c. 1.*

 i) per

i) per quam rationem dissentire videtur *Dn. Hert. p. 1. §. ult.*

k) conf. omnino *Textor. de Rat. Stat. c. 19.*

XL. An immediati Imp. cives territoria sua mmediata alii in feudum offerre valeant? *l)* ubi quoad feudalia certum est, quod neque civi neque extraneo sine consensu domini possint offerri *m)*; quoad allodialia, notandum, quod Imp. vel alii civi cuidam immediato & sine consensu Imp. possint *n)*, sed an & extraneo? qu. Affirmant alii *o)*, alii negant *p)*, licet hi ex diversis iterum rationibus. Mihi sicut quæstio consilii in thesi vix decidenda *q)*; ita in quæstione juris rationes *r)* quibus prohibitum id probatur, non videntur adeo manifestæ, quin multa adhuc dubia patiantur.

l) ita enim Statum controversiæ formare malo, ut & Nobiles immediati includantur. conf. *diss. Thomas. c. 2. de F. O. §. 33.*

m) vel per ea, quæ in thesi supra tradita *pos. 34.*

n) per rationes adductas in *diss. Thomas. l. c.*

o) Dn. *Struv. diss. de F. O. c. 3. §. 9.* prouti citat & rationes ejus exhibet summatim *diss. Thom. d. l. §. 36.*

p) Dn. Hert. *p. 2. §. 23. diss. Thom. §. 37. 38. 39.* qui, data ad fundamenta Hert. instantia, alia ipse substituit.

q) exemplum disputationis in hypothesi exhibet *Hist. Pac. Westphal. lib. 5. n. 99. seqq.* conf. *Dn. Itter. de F. Imp. VI. 1.*

r) à po-

r) à poteſtate fœderum pangendorum reſtricta partim, partim à poteſtate Imper. etiam limitata petitæ. conf. *diſſ. Thom. c. 2.* §. *38.*

XLI. An vero Status territorium ſuum alteri Statui offerens præſumatur ſe ſubjicere voluiſſe, itidem quæſitum s) negatumque eſt, cum aliud utique ſit ſubditum, aliud vaſallum eſſe, neque etiam feudi dati acceptatio præciſe ſubjectionem importet t).

s) à Dn. *Hert. p. 66. & diſſ. Thom.* §. *43.*

t) licet aliquam hic differentiam conſtituat Dn. *Hert.* vid. *diſſ. Thom. d. l.*

XLII. De Imperatore, quod res Imperii non poſſit extraneo in feudum offerre, certum eſt; an ab aliis oblata acceptare poſſit? quæritur. Ubi diſpiciendum à quonam offeratur, quod ſi enim ab exteris id fiat, ſine conſenſu Electorum acceptare non poteſt, ſi à Statu Imp. diſtingvendum an allodialia ſint, & poteſt? an vero feudalia & non poteſt? nec ut Imperator, nec ut Rex Hungariæ? ſi à cive mediato, itidem non poteſt u)?

u) conſ. Dn. *Struv. de Feud. Obl. c. 1.* §. *13.* & *diſſert. Thom. c. 2.* §. *44.*

Poſſent equidem plures controverſiæ ſubjungi in hypotheſi etiam factorum quorundam Illu-

ſtrium agitatæ; verum illæ quidem pleræque ex traditis dependent; & inſtituendo, quod unice nunc intenditur, colloquio inaugurali ſufficere poteſt vel

TANTUM.

Man hat, zu Erfüllung des Platzes, ſo viel derſelbe vergönnen will, (Tit.) *denen Herren Liebhabern mehrere* Diſpp. *angeben, und darbey dienſtlich melden wollen: Daß ſolche, wie gegenwärtige, ebenmäſſig zu Jena in der Helleriſchen Buchdruckerey,* (*mit einem gedruckten* Catalogo, *der bereits biß in das 7te Alphabeth angewachſen iſt, und noch viel 1000. Stücke, von allerhand in alle Facultäten einſchlagende* Diſpp. *in ſich faſſet,*) *um billigen Preiß zu haben ſind, als:*

Frieſenii de ceſſione actionis revocatoriæ feudal.
Zollii de feudi per vaſallum alienati præſcriptione contra dominum directum.
Mantzelii de eo quod refert feudum eſſe vere antiquum vel novum jure antiqui conceſſum.
Mülleri de affectionibus feudi proprii.
Bœhmeri de hypotheca feudali expreſſa.
Beſſelii de exſpectativa feudali.
Buderi de feudis ſceptri.
Ejusdem de feudo jurisdictionis.

Ejusd.

Ejusdem de commiſſario imperiali in cauſſis feudalibus.

Brückneri de particulari territorio ſubinfeudat.

Ejusd. de feudo informi, inprimis præſcriptione quæſito.

Brandtii de præſcriptione feudali.

Dœbneri de taxa feudali.

Hilligeri de vaſallo contra dominum feudi propria autoritate ſibi jus dicente.

Heydenreichii de alienatione feudorum quæ fit absque domini directi, agnatorum, & in Saxonia ſimultanee inveſtitorum.

Rinckii de clypeorum ratione habenda in feudis alienandis.

Siegelii de feudo fœmineo proprio.

Chladenii de altaragio ejusque infeudatione fide canonum ſcriptorum præſertim diplomaticæ.

Gaſſeri de feudo ſub formula Erbguth.

Lynckeri de bonorum allodialium in feudalia incorporatione.

Menckenii de jure protimiſeos domino directo in quavis feudorum alienatione ſecundum jus Saxon. competente.

Maſcovii de expectativis in feuda imperii.

Quehlii de feudo alternativo.

Stryckii

Stryckii de hypotheca tacita in feudis germaniæ.

Brokesii de jure pecuniæ heredibus ultimi possessoris feudalis solvendæ.

Sturmii singularia de feudis nobilium & rusticorum in Saxonia capita.

Trierii de transmissione fructuum feudalium in heredes allodiales.

Brokesii de usufructu patris in bonis liberorum maxime feudalibus.

Becmanni de feudo emto sub pacto de retrov.

Stieglitzii de juribus & actionibus feudi titulo concessis.

Ulrichii de feudo venationis.

Estoris de jurisdictione curiarum clientelarium germanicar. & de caussis feudalibus ibi tractandis.

Franckii de jure vicariorum imperii de feudis imperio apertis disponendi.

Ihringkii modum computandi fructus in separatione feudi ab allodio indicans.

Wildvogelii de feudo sculterico.

Engelbrechtii de renov. investit. universitat. nomine regulariter non in casu mortis unius ex pluribus feudi curatoribus sed dem. cunct. iis deficientibus, petenda.

Gundlingii de feudis vexilli, vulgo de feud. Imp.

F I N I S.